



Dielhelmus ex nobili familia Plaurerorum natus, & à parentibus honeste educatus fuit. Is cum prima rudimenta percepisset, ad nobile monasterium S. Gallense missus fuit, ut & melioribus literis institueret, & bonis moribus imbueretur. In eo loco Diethelmuſ uiuīs atq; mutis præceptoribus operam dedit, & mediocrem eruditionem nactus fuit. Cum etiam id genus uitæ placeret, eum ordinem professus est. Eo ibi existente, ob religionis reformationē magni motus excitati in Heluetia. Verum cum pax undiq; restitueretur, ipſe ob uirtutes anno 1533 eius loci 57 post S. Othmarum Abbas eligitur. Tum uero insignem ibi Bibliothecam construxit, atq; ueteris Bibliothecæ electiores libros in ea ordine disposuit. Monasterium etiam ruinis deforme restaurauit, atq; ædificijs decorauit. Fuit Diethelmuſ proceræ staturæ homo, pacis cupidissimus, & pauperum egregius patronus. Cum aliquādo monetarius quidam ipsum accessisset, & ei suam operam obtulisset, ipſe respondisse fertur: Hoc tempore, cum passim moneta deterior fiat, adeoq; adulteretur, ne quaquam tua opera uti possum, nisi & ipſe aliquid me indignum committere uelim: ideoq; ipsum a se cum admonitione officij dimisit. Sub eius administratione monasterium S. Ioannis Sangallensi, pontificia autoritate, incorporatum fuit, potissimum id procurante Florino Flerch Vuestphalo uiro doctissimo. Is cū ibi 1565 in Martio eslem, passim per monasterium circumduxit, atq; omnia antiqua monumenta summa diligentia ubiq; ostendit. Cum autem Diethelmuſ per 31 annum ibi præfuisset, tandem erate confessus, 18 Decemb. anno 1564 multorum luctu obiit, atq; Othmarum Contzen uirum egregium successorem accepit. Casp. Brusch, in Monast. Germaniæ.